



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118472**

§. 122. Sfortia a Venetis in suo Ducatu defensus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

inter omnes Ecclesiæ ditiones nulla re-  
ditibus amplior esset.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1525.

§. CXXII.

*Sfortia a Venetis in suo Ducatu  
defensus.*

Præterea Veneti majori quam Ponti-  
fex, cura angebantur; hi enim, si  
concordiæ pactis, quæ Martinus Car-  
racciolus apud Rempublicam Cæsaris  
Legatus erexerat, accederent, omnem  
recuperandæ libertatis spem sibi præci-  
di cernebant, si vero hanc pacem cum  
Cæsare rejicerent, merito verebantur, ne  
bellum ad continentem Reipublicæ ditio-  
nem extensum sustinere cogerentur; pa-  
lam enim minitabatur Piscarius, se captis  
Mediolanensi & Cremonensi arcibus  
mox infesta Venetis arma illaturum.  
Nihilominus potius extrema quævis  
aggredi decreverant, quam ultra Au-  
striacæ Domus imperium in Italia tole-  
rare: quapropter de honesto, quo ini-  
quum eorum consilium tegerent, ob-  
tentu parum solliciti, absque ambagi-  
bus Caracciolo aperiunt, fœdus, quod  
cum Cæsare a Venetis initum memo-  
rasset, eo duntaxat fine ictum fuisse, ut  
Sfortia in Ducatus Mediolanensis pos-  
sessione firmaretur; huic vero armorum  
societati Cæsarem nunquam accessu-  
rum, se haud obscure ex eo colligere a-  
jebant,

Secl. XVI.  
A.C. 1525.

jebant, quod Ducem ditione sua exueret, proin nisi prius Sfortia in Ducatus sui jura reponeretur, nunquam se vires suas Cæsareis juncturos; nec ab hac conditione se aliquid remissuros declarabant.

## §. CXXIII.

*Papa foederi accedere hæsitans.*

Si Clemens Papa pari modo obfirmatum monstrasset animum, in graves angustias conjectus fuisset Imperator; ast ille nimia solertia usus in laqueos, quos non ita pridem evaserat, incidit. Agebat Madriti Salviatus Cardinalis Papæ Legatus, qui cum Cæsare de pace tractabat, cum tamen eodem tempore de conflando foedere adversus Cæsarem cum Venetiarum ac Franciæ Legatis ageret. Hujus Legationis exitum sollicite expectabat Pontifex, cumque longior illius esset mora, diem præstituit, qua armorum societas cum Gallis, Venetisque concluderetur; sub idem vero tempus nuncium acceperat, foedus itidem Madriti esse firmatum, vi cuius Cæsar consentiebat, ut Reggium & Rubiera Sedi Apostolicæ redderentur; hoc igitur nuncio lætus Imperatori adhærere constituit, nec ultra de foedere cum Gallis ac Venetis mentionem fieri sustinebat.

## §. CXXIV.